



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De hospitalitate monachorum de Lacu, cap. 71

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

expensas, modò cōtrahe manum, ne fortè paupertati incurras. Mira res, mox ut hospitibus stipēdia consueta negauit, & Dominus illi manum substraxit; non enim in domo illa frater Dabitur, habitare poterat, de qua germanus eius Date, expulsus erat. Eadē ad se reuersa, cūm se egere consiperet, de omissione pénitentiam egit, & priora resumens opera, iterum ditanū cœpit.

## CAPUT LXX.

## APOLLONIVS.

Mat. 13.

**N**osse vellem, quomodo intelligendum sit quod Christus ait: Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo. CAESARIVS: Ei qui habet gratiam hospitalitatis, & charitatiū, bonoque animo, & hilari vultu hospites suscipit, atque libeter pauperes introducit, Domino procurante dabitur ei in præsentiatum, & nonnunquā, ut suprà dictum est, centuplum, & abundabit, & in futuro vita æterna. Qui autem gratiam hospitalitatis & eleemosynę nō habet, ita ut inuitus pauperes, hospitesque videat & recipiat, atque cum malo animo & murmure hoc ipsum, quod negare non potest, impendat, huic iusto Dei iudicio hoc ipsum q̄ habet in substantia temporali, vel in seipso deficit, vel ab alijs rapitur atque distrahitur, nec fidelium eleemosynis augetur. APOLLONIVS: Satis placet expositio ista, & hoc propter exempla præcedentia. CÆSARIVS: Frequenter cōtigit, ut claustrales propter Christum largi locupletentur, & contra ipsius mandatum tenaces depauperētur. De utroque subiungam exemplum.

## CAPUT LXXI.

**A** N Meinvelt prouincia diocesis Treuerensis situm est quoddam cœnobium nigri ordinis, quod Lacus dicitur, nomen habens à re, personis possessiōnibusque pollens, & in religione cæteris terræ nostræ cœnobij amplius florēs. Ad hoc die quadā Saxo quidā hospitandi gratia diuertit, qui multū charitatem illic susceptus, ædificatus recessit. Non multo post, diues

dives quidam in Saxonia amicus eius in extremis a-  
gens, cum testamentum suum illo præsente faceret,  
hit: Velle mihi aliqua legare pro anima mea, si scirem in  
quo loco optimè esset locatum. Cui ille respondit:  
Iuxta Coloniam claustrum quoddam est valde reli-  
giosum, in quo veraciter sunt homines Dei in hospi-  
talitate, me teste, præcipui. Nusquam poteritis eleemo-  
synā vestrā melius, & animae vestrae locare utilius, quā  
in eodē loco. Ad eius consilium Saxo, ut puto, quadra-  
ginta marcas argenti legauit, & decessit. Missa est per  
seruum pecunia Coloniam, & quia status diœcesis  
Colonensis propter schisma, quod erat inter Otto-  
nem & Philippum Reges, malus fuit, pecuniam ibi re-  
liquit, & ad Lacum pedes veniens, Abbatii rem per or-  
dinem retulit; qui missō Cellerario, pecuniam ibidem  
recepit. Hæc mihi sunt relata à quodā religioso Con-  
uerso ordinis nostri.

## CAPVT LXXII.

**E**iudicem ordinis cella quædam in episcopatu  
Colonensi sita est, quam nominare nolo pro-  
pter tempus, quam Præpositus tam tenax re-  
git, vt neminem sponte sua hospitio secundū regu-  
lam suscipiat, cum tamen satis abundet. Episcopus  
verò, qui & aduocatus eiusdem cellæ est, sciens homi-  
nem pecuniosum esse & inhospitalem, semel vel bis in  
anno cum plurimo equitatu & multitudine militum  
hospitatur apud ipsum, in quorum receptione tātum  
expendit Præpositus, quantum sufficere posset ad sus-  
ceptionem hospitum totius anni. Alijs verò monaste-  
rijs, multo ditioribus, idem Episcopus parcit, & sua  
largitur, vt impleatur prædicta sententia Saluatoris:  
Omni habeti dabitur & abūdabit, ei autē qui nō ha-  
bet, etiā q̄ habet auferetur ab eo. APOLLONIVS: Satis  
mihi dictū fateor, tam verbis quā exēplis, contra au-  
ritiā; nunc precor, vt idem facere non pigriteris cōtra  
gulam. CÆSARIUS: Priūs expedire te debedo de gula  
quid sit, quæ sint eius filiae, & quā periculosa sit illius  
tentatio, si ei cōsensus adhibeatur, corpori & animæ,  
& quibusdam tibi hoc ostendere testimonij.

Mat. 13:17

P 2

CAPVT